



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

VI. An contingentium futurorum cognitio propria Dei sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

tionem suscipiet, quæ à non decernente ad decernentem denuo in tempore transeat. Rursus, cum contingens transiit, & præteritum absolute non sit, æque pure futurum non est, tam eius scientia, quam decretum illud supponens cum eo transibunt, æritque utrumque absolute in Deo defectibile, ac subinde Deus à scientie contingens, ac decernente ex eius absolute scientia in non scientem, ac non decernentem mutabilis. Accedit demum Deum esse purum actum, nec posse esse in potentia ad actum aliquem suum, ut fuisset antea tota æternitate, si contingens, quod nunc primo est, nunc etiam primo cognosceret, & decretum nunc primo conciperet.

1. Respondent Herize supra, & docti Recentiores, non esse demonstrabile ratione pure naturali Deum non posse incipere denuo in tempore cognoscere contingens, quod nunc primum absolute est, ac proinde nunc primum est verum absolute, & cognoscibile obiective, ut posset Eternus respondere, neque enim Dei immutabilitas euidens naturæ lumine est; sed solum ex fide, ac proinde fides solum convincit de se. Addit Herize iuxta suam Valquii, & Arubalis, ac aliorum sententiam de confirmatione decreti, ac scientiæ liberæ Dei per extrinsecam comotam, nihil scientiæ, aut decreti liberi Dei intrinsecum, & perfectum ipsius incipere in tempore: neque proinde in illa intrinseca perfectione Deum mutari, aut denuo acquirere illam: tum, quia, quod denuo advenit certum comotum est: tum, quia scire, quod scibile non est, perfectio esse non potest, cum sit potius cunctata, & prolixa aperta repugnantia, in primis satis contraria nostræ conclusionis erit, si certo & infallibiliter ex fidei principiis evincatur. Secundo: quod ait Herize divini per extrinsecam comotam, ipsa intrinsecum scientiæ, & voluntatis liberæ, & vitalis diuine constituent, euidens est falsum: ut controu. 4. de libertate decretorum agentes ostendimus.

2. Si autem constituent liberos illos actus extrinsecos tanquam termini connotationis intrinsecos actibus liberis, præter alias difficultates, non soluitur difficultas. Nam illa connotatio intrinseca Dei, vel potest esse absque actuali absolute existentia de presenti contingens pure futuri: vel non? si nequit esse absque illa: iam in tempore incipit aliquid intrinsecum Deo, ac proinde quoad intrinsecum mutabitur: si potest esse absolute sine illa cognosceret, & decerneret ab æterno futura contingentia Deus, & eorum scientia decerneret, ut contendimus. Secundo: cum constitutio hæc actuum liberorum Dei ab Herize, etiam postus fidei principiis, adstruatur, inquiri: an ex ea probabiliter saluetur immutabilitas Dei, quoad intrinsecum, quæ solum est de fide, vel non saluetur: si saluetur et fide adhuc quod scientia, & decreta Dei in tempore non incipiunt, ac proinde quod Deus mutari intrinsecus, quoad illas etiam, nequeat, certo concludatur pro scientia contingentium, & decreti in tempore incipientibus: si non saluetur probabiliter, erit solutio inde petita improbabili: quare ex immutabilitate Dei in suis actibus, etiam liberis, demonstratio tenebit. Denique ex demonstrationibus secundæ, & tertiæ veritatis, & cognoscibilitatis obiecti futuri contingentis, ipsimet intrinsecæ euidenter confutatur solutio omnes præsentem demonstrationem ab Herize, & doctis Recentioribus adhibita: quæ in opposito principio, ut patet, male fundatur.

3. Obiectionibus fiet satis q. 7. propiori sede: solum respondeo hic: Dignum Thomam, & Philosophos asserere sepe, esse, ut verum conuenit, unde inferunt aduersarij, id quod actus non est, sicut absolute non est actus, non esse absolute verum, seu cognoscibile obiective: cæterum verum conuenit cum ente non est veritas obiectiva, sed positiva soliditas essendi absque qua plura veritatem obiectivam, & cognoscibilitatem habent, ut patet in negationibus, & entibus rationis, quæ cognoscibilia, & vera obiectiva sunt: quare, sicut futura non habent veritatem cum ente conuenientem, seu positivam essendi soliditatem nisi quando actus sunt, obiectivam tamen cognoscibilitatem, & veritatem, quam habent ea etiam, quæ nunquam sunt, esse possunt, habebunt. Insuper idem Sanctus Thomas dum ait in 1. d. 38. ad 2. Futurum contingens non est determinate verum antequam Christioph. de Ortega, de Deo Vno, Tom. 1.

fuit, quia non habet causam determinatam: sed dum est in actu est determinate verum: nihil contra nos docet, illud quippe antequam non significat antecessionem temporis, sed naturæ, & causalitatis: dum scilicet est in potentia causæ, id quod satis expressit Sanctus Doctor termino illo quem opposuit. Sed dum est in actu, qui respondet termino est in potentia, quem illo adverbio antequam fiat explicauit. Deinde idem ratione subiuncta explicuit: quia non habet causam determinatam, quod non ad prioritatem, & posterioritatem durationis, sed naturæ, & causalitatis spectat, locumque in contingentibus actu existentibus de presenti habet, quæ nec de presenti causam determinatam ad eorum esse habent: & tamen quia in se in actu, nec solum in potentia, sunt, quia in actu sunt, determinate sunt pro hac duratione de presenti: id quod etiam habent futura, & præterita contingentia suis quæque durationibus, quibus in actu fuerit, vel erunt: ut diximus certam. a. & de se patet.



QVÆSTIO VI.

An contingentium futurorum cognitio propria Dei sit?

STENDIMVS hæc futurorum contingentium scientiæ Deo competere: nunc vero an ita ad Deum pertineat, ut nulli alteri, nisi ex eius dispensatione, & reuelatione possit competere: ac proinde, ita in Dei propriis eorum præscientia numeretur, ut iure naturæ nulli alteri sue Angelo, sue homini competat quæritur: loquimur autem de scientia, siue præscientia certa, & infallibili: quia nos etiam late sumptam scientiam pro opinatiua coniecturali, & moraliter certa de illis, futurorum contingentium scientiam habere posse indubitatum est.

CERTAMEN I.

Certam futurorum contingentium scientiam in proprio Dei censu esse auctoritate probatur.

1. Hæc in re egregiam nauauit operam noster Ruiz d. 22. a. sect. 3. Primum testimonium est Eccles. 7. quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? Ad quæ Olympiodorus. Hæc auctoritas omnem funditus euerit diuinandi superstitionem. Nullus enim mortalium certam futurorum scientiam consequi potest. Itai. 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dy estis vos: & infra: quis annuntians ab exordio, ut dicamus insus es? Ad quæ Hieron. ubi Apollo Delphicus, & Loxias, Deliusque, & clarus, & cætera idola futurorum scientiam pollicentia &c. cur de Christo nihil potuerunt predicere, nihil de Apostolis eius, nihil de ruinis, & abolitione templorum? si ergo suum interitum non potuerunt predicere, quomodo aliena, vel mala, vel bona potuerunt annuntiare? quod si aliquis dixerit multa ab idolis esse prædicta: hoc sciendum: quod semper mendacium iunxerint veritati: & sic sententias temperant, ut, seu boni, seu mali quid accidisset utrumque posset intelligi. Vt est illud Pyrrhi Regis Epirotarum. Aio te Eacida Romanos vincere posse: & Cressi: Cressus transgressus Halim maxima regna perdet.

2. Pergit infra Itai. capite eodem: Quis annuntians ab exordio, ut sciamus, & a principio, ut dicamus insus es? non est neque annuntians neque predicens? Ad quæ ita interpretatur Hieronymus: quæ ego iuxta consuetudinem prophetalem scisse me dico: quasi iam præterita sunt, vel (iuxta Symmachum) futura polliceor, nullius demonum, & idolorum posse predicere: & Cyrill. Alex. 4. in

4. in Hic. c. 41. ex hoc. huius loco sic futuri divina. & infallibilis gloria proprium. & peculiare est. omnia scire, nihil prorsus ignorare, neque praeiorum, neque instantium, neque futurorum: & paulo post: veniant itaque qui putantur ab his esse Dei: annuntient, quae contingere dicant prius & nouissima & ventura: cognoscemus enim tunc, quod dicitur: verum, inquit, non potestis annuntiare. In quam sententiam plura multo subnequit idem Cyrillus proxime citatus circa eiusdem capitis finem.

3. Idem Hic. c. 44. sub init. Ego primus, & nouissimus, & absque me non est Deus quis similis mei dicitur. & annuntiet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum, ventura, & quae futura sunt annuntient eis. Quae Hieron. ista periphrasi interpretatur: quis similis mei est? vocet ea quae non sunt, quasi sint (nempe iuxta id de Roman. 4. & exponat ordinem creaturae meae, quae cuncta ratione libauerim ex quo feci hominem super terram. Nec solum vult, sed quare etiam futurorum scientiam. Atque in eadem Hic. verba ita scribit Cyrill. Alex. 4. in Hic. orat. 2. colum. 4. Deo enim natura conuenit omnem habere etiam praeiorum, & futurorum notitiam: si nemo reperitur in falso nuncupatus Dicitur, qui hoc sit consecutus, eos, qui cognitione divina praediti non sunt, Deos non esse obsecrum non est. Addit eodem cap. 44. Hic. Ego sum Dominus, &c. irrita faciam signa diuinorum, & arculos in furorem vertens: super quibus praeter alia in eandem sententiam Cyrill. loco proximo ait: falsa diuinationes passim, & impostura, ac fuci demoniorum, quae scire se fingebant: & praenuntiare posse futura: cum nihil quidquam vel dicentes, vel sciunt.

4. Sextum testimonium Dan. 2. Respondentes Chaldaei coram Rege dixerunt: non est homo super terram, qui sermonem tuum Rex possit implere &c. exceptis Dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio. Vbi Hieron. Constituitur Magi, constituitur Arioli, & omnis scientia secularis literaturae praescientiam futurorum non esse hominum, sed Dei. Ex quo probatur Prophetas Dei spiritu locutos, qui futura cecinerunt, eidem vero Regis interrogationi inferiorius respondet his Daniel. Myserium, quod Rex interrogat sapientes Magi, Arioli, & Haruspices non queunt indicare Regi: sed est Deus in calo reuelans mysteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quae ventura sunt nouissimis temporibus. Ad quae Hieronymus, Tollit Regi prauam suspensionem, ne humana astimet inueniri posse solertia: quod Dei notitia reseruatur. Ibi etiam Theodoretus, Deum esse asseruit arcana reuelandi Magistrum. Et adiecit: in calo: is dicit, qui deorsum versantes colerentur, eiecit. Et quidem singulari nomine, Deorum qui non sunt, expellit multitudinem: eo vero quod in calo degere ipsum dixit, eos, qui deorsum viderentur, non esse Deos ostendit.

5. Septimum testimonium Ioan. 13. A modo dico vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia Ego sum: cuius hanc periphrasim, & interpretationem dedit Cyrill. Alex. 9. in Ioan. c. 11. Dico igitur a modo vobis, ut cum factum fuerit exitum rerum videntes illum me esse credatis, qui nihil falsi, nihil vanum proferre soleam, & quem scriptura venturum praenuntiavit. Octauum testimonium Ioan. 16. sub init. Haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini &c. Ad quae Chrysost. homil. 26. post med. ex his & reliqua credetis. Neque dicere poteritis me ad gratiam loqui, aut, ut vos fallam: neque enim decipitur, quae mendacii argui possent praediceret: ideo praedixi, ne in non expectata incidentes perturbaremini: ac etiam ne non prauidisse futura dicere. Rufus idem Homil. 18. in Ioan. ad illud Ioan. 1. Tu vocaberis Osphas, ait: Prophetiam maxime Dei opus esse, quod neque daemones imitari possunt. Et Hieron. ultra recitata comm. in Hierem. ad id c. 23. Et tulit Ananias, ait: demonstrari nequaquam Prophetas suo tantum arbitrio loqui: sed domini voluntate: maxime de futuro, quod solius Dei notitia est: inde celeberrima, & vulgarissima sententia illa Tertulliani 4. contra Marcionem c. 25. & contr. Prax. c. 19. ex testimonio dato Hic. 44. & c. 20. Apolog. aduersus gentes, ubi habet: idonum opinor testimonium diuinitatis veritatem diuinationis.

6. In eadem sententiam scribunt Orig. 7. cont. Celsum colum. 4. Diuini sermonis character est futurorum

praedictio. Ac sibi consonans 4. Petriarch. c. 2. circa finem ex loco recitato Hic. 41. docens eiusmodi scientiam, non solum humana, sed nec diuiniore scilicet Angelicae naturae vlli: imo nec, quae creata demum, ut competere: Clem. Alex. 2. Stromat. verius med. ait, quaecumque fore Prophetas praedicunt, prius a Deo cognita, & manifestata esse, & lib. 6. vetus, & circa, & post. med. Proprium Dei esse dicit futurorum cognitionem per fidem communicare iuxta illud Sap. 8. Signa, & monstra fecit, antequam fieri. Et sine, ac lib. 7. post init. gentium diuinos, & Poetas fatidicos, eorum, quae praesagia, uti falsas fabellas irridet. Idem de demonum, & fatidicorum vatum oraculis censet Iustin. M. Apolog. 2. ante, & post med. & q. 81. ad Orthodoxos, & q. 146. Quorum, ait, dicit non sunt dii, horum, ne vires quidem, sunt veritatis Prophetas: nec eorum praedictio inuitabilem, ac verum habet euentum: ut enim procul absint a vera diuinitate, si & a futurorum praenotione, & q. 19. ad Gent. Futurorum praedictio est anima, quae a diuino spiritu illuminatur ad cognitionem verum haecenus incertarum. Athanasius in vita sancti Antonij post medium de demonum praesag. Nos enim ea, quae nondum fieri coepit sunt (scilicet naturali causarum suarum ordine in Deus impediatur) referunt: quia Dominus solus conscius est futurorum. Vnde lib. de Incarnat. Verbi, & eius corp. aduentu vers. fin. eorum oracula falsitatis accusat.

7. Anastas. Episc. Nicen. qu. 23. in scripturam col. 2. futurorum, aut arcanorum nihil praesciunt daemones: sed solus Dominus, qui omnia nouit, priusquam fiant. Et confirmat testimonio illo Hic. 41. & col. penult. ex Cyrillo. Non est ergo daemones adscribenda cognitio. Nos autem eam Deo potius tribuimus tanquam eximiam. S. Max. centur. 4. c. 32. tom. 5. Biblioth. Cum igitur eorum, quae sunt, nullum omnino seipsum, aut aliud cognoscat, quidnam sit secundum substantiam: inusta de causa nihil extat, quod futura secundum naturam praecognoscant: praeter eum, qui est super omnia, Deus, qui, cum seipsum nouit, quid sit secundum substantiam: tum subsistenti praeuocit rationem eorum, quae facta sunt ab ipso ante quam fierent. Euseb. 1. praeparat. Euang. lex vltimis capitibus, & lib. 3. c. 16. primis exemplis, & gentium confessione falsa, & ambigua fuisse oracula demonum, qui nihil de futuris contingebat scire poterant, quod ipsum probat testimonio Plutarchi & Porphyrij, & oraculorum ambiguitate, & contrariis euentibus lib. 10. de Euangel. verit. cognitione ex Philosophia Gentil. fuit de curandis Graecorum affectionibus. & in lib. Reg. & Paralip. de Pythoussa Sauli mortem praenuntiant. Damasc. 2. de fide c. 3. circa med. de Angelis. Per diuinam gratiam futura enuntiant. c. 4. de med. futura quidem neque Angeli neque daemones sciunt: praedicunt tamen Angeli Deo illis reuelante, & praedicere praecipiente. Praedicunt, & daemones quandoque ea, quae longe futura sunt praescientes quandoque conicientes: unde & pleraque mentiuntur. c. 29. vers. med. in comprehensibili est diuina providentia, & cogitationes nostrae & actus & futura illi soli (Deo) cognita, & lib. 3. c. 16. ex Athanas. term. adger. blasphem. in Spiritum Sanctum quoniam autem supra naturam est Spiritus Sanctus, & aliud praeter generabilem naturam, proprium enim diuinitatis est, ea quae retro, futuraque sunt conscribere.

8. Pro eadem sententia scribit semper Augustinus 9. de Ciuit. Dei c. 22. 4. de Trinit. c. 17. lib. de diuinat. demon. totis quinque capitibus, a quarto. 2. de Gencl. ad lit. c. 17. post. med. 13. cont. Faust. c. 14. 15. & 17. asserens daemones plura nobis & futuris a causis naturalibus prospicere, naturali nimirum, non absoluta certitudine, & coniectari: quare & saepe falli, cum non fallantur Angeli, qui Dei leges immutabiles, & voluntatis eius statuta immutabilia pro eius voluntate in Patria vident: & eius sententia liidorus 1. Sentent. seu de summo bono cap. 10. sub med. Angeli in verbo Dei cognoscunt omnia (nempe, quae ita antecius cognoscunt antequam in re fiant) subditque: quae apud homines adhuc futura sunt, Angeli iam reuelante Deo nuntiant. Anselm. dia. de calu diaboli cap. 1. sub init. ait. Non posse sciri, quod potest non esse: quod enim non esse potest, nequaquam, esse, potest certa ratione colligi: quia propter constare illam diabolum nullatenus potuisse praescire casum suum, quem necesse non erat futurum. Concluditurque post pauca: casum suum futurum ne in suspitionem quidem potuisse

potuisse Diabolo venire. Leo item M. Serm. 7. de nativitate. c. 3. demonum de futuris predicationes mendaces reputat. Denique sententia hæc de futuris contingentibus absolute talibus omnium (nemine dempto) Theologorum est, cum Magistro 2. d. 7. à cap. Et licet & cum S. Thom. 1. p. q. 57. a. 3. Controuersitarum item Medine de recta fide c. 3. c. 2. fol. 33. Arborci 4. Theoph. u. 27. Bellarm. tom. 1. lib. 4. de notis Eccles. c. 15. Bocij tom. 1. lib. 6. c. 2. idcirco conclusionem hanc ita certam, & dogmaticam puto: vt contradictoriam negatiuam non solum temerariam, & erroneam, sed prorsus hæreticam censeam, cum expressis Patrum omnium interpretatione, & intelligentia, testimoniis scripturæ adueretur. Quibus omnibus præiit Aristoteles lib. de prædicatione per somnium sub init. & med. docens: certæ prædictionis per somnium futurorum contingentium nullam sufficientem causam præter Deum immitterent reddi posse.

CERTAMEN II.

Eiusdem veritatis rationes, à posteriori.

1. Posteriori naturali discursu, & ratione probatur, imò demonstratur eadem veritas. Primo: quia demones à mundi fere exordio, vt Deos haberi, & coleri ab hominibus omni arte, & studio ambiebant: ergo si futura contingentia præficerent, prædicere possent: nunquam falso prænunderent, vt experimentis certis de euentibus aliter, quam ipsi prænunderant, non solum ex Patrum, sed, & suorum Idololatrarum historiis, & confessione comperitum est. Ergo demones non prædicunt, nec præficeri possunt futura. Prima consequentia sola probationem desiderat, quam sic prælo: quia falsa prænunderatio euidentis argumentum est (quod demones non ignorant) negandi diuinitatem falso prænunderanti: ergo ambiens omni arte demonum diuinitatis opinionem, & cultum per oracula necessitudo vitanda omni etiam arte erant oracula falsa, ex quibus cum Deum non esse demonstraretur, ac proinde, si præficeret, præficeret omni sua arte, & naturali industria, & facultate futura contingentia valeret, non, nisi vera, prædicere.

2. Probat. 2. ex eo quod ad opinionem, & cultum Deitatis alio ambiens Demones eo medio fundendi, cum per se è Tripode, & cortinis, tum per suos vates oracula de contingentibus futuris ambigua (vt mendaces non deprehenderentur) cum ita prædicere poterant, & cum aliter non poterant determinare (si forte casus prænunderationis concordaret, & quasi forte fortuna præficientia futurorum affirmationem, ac proinde opinionem Deitatis sibi iactarentur) fundebant: cum autem ex his quæ alteri, quam Deo, conuincere queunt, assequi diuinitatis opinionem non possent, dum id per hoc in primis medium assequi, adeo citius fraudulenter, & tandem sub fortuna alea conantur, Dei propriam esse futurorum contingentium præficientiam recognoscunt, & fatentur. Confirmatur hæc secunda ratio: quia ideo etiam æquo studio, & arte, vt Deos se hominibus demones mentirentur, miraculorum apparitionem Architectos, & Patratorese se ostendebant, quia eorum patratio, & architectura euidenter propria Dei supra naturam totam, eiusque dominium est, esseque ab illis cognoscebatur: ergo idem etiam de præficientia, & prænunderatione futurorum contingentium, cum hæc ad idem assequendum vtebantur, cognoscebant: scilicet eam esse euidentem diuinitatis argumentum.

3. Dices: hæc solum probare demones, sine Angelos malos non habere præficientiam futurorum, secus autem de Angelis bonis, qui dubio procul plura, quam demones, cognoscunt: ac proinde nec probant præficientiam futurorum contingentium esse propriam Dei. Contra tamen: quia si futurorum contingentium præficientia posset naturaliter, & absque Dei gratuita, & supernaturali reuelatione tantum Angelis competere, id Cacodæmones non ignorarent: ergo illam non affectarent, vt euidentis argumentum conuincere opinionis affectatæ à se Deitatis. Contra secundo: quia in peccati sui penam Cacodæmones naturali scientia præcipue omnium generis vniuersi obiectorum, præ-

uati non sunt: ergo, si naturale obiectum scientiæ naturæ Angelicæ, secundum se ac sine lapsu spectatæ, essent futura contingentia, etiam naturæ lapsæ Cacodæmonum obiectum forent, vt plurimum saltem, licet ob hominum bonum, & salutem aliqua ab eis ignorari Deus quandoque displiceret: sicut, & ob eundem finem aliqua naturaliter à bonis Angelis ignoranda cognosci facit. Confirmatur ex S. Tho. 1. p. q. 64. de malo a. 6. Magist. in 2. d. 7. circa medium vbi Sanctus Bonauent. p. 2. a. 1. q. 1. & reliqui Commentatores: Alex. 2. p. q. 113. tota, scilicet naturalem cognitionem integram demonibus relictam iuxta Dionysium de Diuinis nominibus c. 4. p. 4. vbi ait: nec mutam bonum vniuersum, quod eu suum est: sed ipsi à toto bono, quod eis datum erat deflexerunt: dataque eis Angelica munera, nequaquam mutata esse diximus, sed sunt integra, & nitidissima.

4. Præoccupatur hæc doctrina secunda casio: quod, scilicet, demones impediri possint à Deo, impedianturque à futurorum naturali cognitione: ac proinde solum contingentium futurorum naturalem, atque impedibilem absolute cognitionem à Demonibus eis oraculis affectatam esse diuinitatis argumentum: constat enim primo naturalem cognitionem nullatenus esse in Demonibus impediri. Secundo: quia omnibus Demonibus vniuersim impedire naturalem cognitionem circa aliqua, alienum à providentia Dei esse ait Dionysius c. 4. citato circa finem, sic factus: Nec enim providentia est naturam inserinere, & tollere: itaque, vt providentia vniuersumque naturæ conservaret, ea quæ suis appetitionibus utuntur: gubernat: & vniuersos, & singulos accommodat: vniuersque: quætenus eorum, quæ providentia reguntur, natura capis, vniuersa providentia beneficia, quæ cuique pro capiti suo dantur. August. 7. de Ciuit. c. 30. Sic Deus administrat omnia, vt ipsa etiam propriis exercere, & agere motus sinat: 5. contra Iulianum: Neque Deus ita naturas creat, vt leges auferat, quæ dedit: motibus cuiusque naturæ. Tercio: quia ea impeditione opus non est: cum Deo imperante nihil Demones dicere de futuris contingentibus, quæ naturaliter noscent. Quarto: quia nature lumine nota certæ diuinitatis est, certa futurorum contingentium prænotio: mentis vero eorum ignorantia: ac nature lumine scire nequit, an eorum cognitio è Deo non impediente sit, atque ignorantia è non impediente: ergo inde non, vt vera, vel falsa, Deitas nature lumine dignoscitur. Et quidem si contingentium futurorum cognitio eo solum, quod contra naturæ suæ debitum impediantur Angelis desit, eorum scientia propria Dei maxime à scriptura non diceretur: vt contra pauculos asserentes cognitionem secretorum cordis Angelis connaturalis, à Deo tamen impeditam. Arguunt Doctores in 1. d. 7. & 8. & 1. p. q. 57. art. 4. ad censuras vsque: quia ea cognitio Dei propria in scriptura dicitur: non esse autem Dei propriam, si alteri connaturalis esset, & demum ex nulla actione naturali à Deo impeditibili creaturæ, & non impedita, eius Deitas arguitur.

5. Dices: medium oraculorum ad conciliandam sibi apud homines opinionem, & auctoritatem, & cultum Deitatis à Demonibus assumptum esse: non quia euidentis, ac certum medium reuera, & apud ipsos sit: sed ex falsa hominum opinione, quibus id demones suadere contendebant. Verum ex hac solutione alia tertia demonstratio deducitur: id enim quod omnium hominum generi apud nationes omnes concors iudicium, & sententia est, euidentis nature lumine, rationisque naturalis ductu ipso est: vt nuper, ac sæpius diximus: atque omnibus hominibus, atque apud omnes nationes fixum iudicium, firmæque, ac constans sententia est, prænunderationem futurorum contingentium signum, & notam certam Deitatis esse: ergo euidentis nature lumine diuinitatis argumentum est prænotio, & prænunderatio contingentium futurorum. Minorem dat nobis proxima solutio, euidentique illa ipso experimento est. Nulla enim natio, nullusque populus ab alio, quam ab eo, quem, vt Deum colebat, eiusque viribus ipsius spiritu afflatis de futuris contingentibus consuluit: nec super illis oracula, & prænunderationes recepit. Hinc vates omnes diuinatores, atque oracula eorum, & vaticinia diuinationes apud omnes gentes dictæ sunt, atque semper vocantur: quia, nimirum, à diuinitate demum ortum ducere, ac diuinum sonare, & redolere eiusmodi prædictiones omnium hominum sententia est.

CERTAMEN III.

A priori eadem veritas probatur.

1. *S*ed tamen, an veritas hæc à priori per alia principia naturali ratione demonstrari queat? inter nostros Valq. 1. p. d. 108. c. 2. & Didac. Ruiz supra sect. 4. n. 7. contr. est. Negat ille: affirmat hic: eis tamen convenit in causis futurorum contingentium non posse hæc, ab Angelis adhuc cognosci: cum omnes illæ indifferentes ad utrumque sint, etiam, cum de præsentis pro sua duratione adsunt, vel adsint. Dissentiunt tamen: quia Valquez ait id non obesse determinationi futuri contingentis cum in actu secundo pro sua duratione sit: id quod neque Ruiz, nec sanus Philosophus, aut Theologus negat, negare potest: inde vero inferre nullam reddi posse naturalem rationem, cur non possit à natura Angelica naturaliter cognosci in se secundum illud esse determinatum quod in se habet: sicuti cognosci à Deo communiter admittitur, atque Ruiz ipse fatetur. At vero Ruiz, licet hoc esse determinatum futuri contingentis pro sua duratione, quin causæ suæ indifferentia obstat, ingenue, ac vere fateatur: tamen non posse ab Angelo futurum contingens illudque esse determinatum ipsius in actu secundo pro sua duratione in se cognosci naturali virtute naturæ Angelicæ demonstratum ait citata eadem d. & sectione, scilicet n. 2. & 3.

2. Eius tamen rationes non demonstrationes quidem; sed ne firmiusculæ probationes sunt. Prima enim est: quod cognitio futurorum contingentium in se ipsis propria sit Dei, cui soli sola futurum intra spheram cognoscibilitatis ponit futura contingentia; sed ratio hæc pro antecedenti assumit conclusionem probandam, idemque per idem probat. Secunda ratio: quia cognitio futurorum in se ipsis absoluta, & determinata, etiam ex parte obiecti est: cum tamen futurorum contingentium cognitio Angelica solum possit esse de eorum futuritione; si Deus velit, ac non impediatur fore. Nam neque futura ex causis naturalibus v. g. solis eclipsim, aliter, quam ea conditione ex parte obiecti posita, Angelus cognoscit. Nihil tamen solidior præcedente probatio. Si enim certum sit cognitionem absoluti futuri cuiusvis in se absolutam omnino etiam ex parte obiecti atque determinatam; neque aliquatenus ex parte obiecti suspensam, ac sub hypothese, ac conditionatam esse debere; ita sane est Angelica cognitio de futuro quovis in se, essetque de futuro contingentis, quin esset sub ea conditione si Deus velit, & non impediatur, cuius evidens ratio est: quia esse determinatum, & absolutum futuri in se pro sua duratione voluntatem Dei absolutam, vel positivam, vel permissivam ac non impeditivam, ut pro illa duratione absolute sit, supponit: quare cognoscitur ab Angelo vidente futurum, quodvis in se secundum sui esse absolutum, & determinatam entitatem illam conditionem esse impossibile, neque ex parte obiecti ponendam; cum opposita voluntas absoluta Dei obiectum absolute existens præcedat: cum autem ex causis earumque dispositione naturalique cursu futurum absolutum ab Angelo cognoscitur, ut eclipsim, ac proinde non in se est ea conditio ex parte obiecti imbibita, atque ab Angelo, ita illud fore cognoscens, ex parte etiam obiecti necessario apponenda: quia scit naturalem causarum secundarum cursum voluntati diuinæ subiicere concurrendi iuxta naturalem earum feriem, & exigentiam, vel secus.

3. Ego vero ratione naturali ita à priori probari censeo. Quia, obiectum quodvis respectu cuiusvis intellectus creati non se habeat solum pure terminative (sicut solum se habet respectu intellectus diuini) in ordine ad sui cognitionem, siue mediate siue immediate; sed etiam determinative efficienter, & active, cum in se ac non in causis, seu per species alias, cognoscitur, ut ostendimus controuersis de anima controuersis. de concursu obiecti in sui cognitionem, fertque Aristotelicum illud, & vulgare in philosophia proloquium, ex obiecto, & potentia paritur notitia: ergo obiecti, cuius nequit esse actiua determinatio naturalis mediata, nec immediata respectu potentie ad sui cognitionem elicendam, nequit esse na-

turalis cognitio. Atqui obiecti absentis, & pure futuri nequit esse actiua determinatio naturalis, siue mediata, siue immediata potentie ad sui cognitionem: ergo à multis potentie creatæ actiua obiecti determinatione indigentis ad ipsius cognitionem, potest dari de futuro contingentis in se, & per propriam speciem cognoscendo naturalis cognitio. Consequentia prima evidens est: subsumptum antecedens suadet: quia nulla causa efficiens, neque actiua, neque ex actiua effectus sui, aut concursus diuini ad illum, esse potest nisi actu existat absolute, ut controuersis de conditionibus ad agendum cum omnibus Philosophis demonstrauimus: atqui futurum contingens, pure tale, actu absolute non est: ergo nequit determinare actiue naturaliter potentiam ad sui cognitionem mediatæ, aut immediate, siue efficiendo, siue exigendo à Deo concursum, siue speciem ad illam elicendam.

4. Duo huic rationi respondendi poterant. Primum: probare multum: quare probare nihil. Probat enim Angelum, neque posse cognoscere naturaliter futura contingentia præterita, quæ absolute actu non sunt; sed tamen inanis est solutio hæc, & infantia à naturali Angelica de præteritis cognitione: cum enim actu absolute iam fuerint, actiue, vel exactiue pro sua duratione vel mediis speciebus, vel immediate pro sua duratione ad sui cognitionem concurrerunt: & utraque semel posita, vel specie, vel cognitione pro naturali sui maiori vel minori permanentia naturaliter sui exigunt diuturniorem, vel brevioris conseruationem: insuper cognitio speciei sui, & obiecti, ut cogniti, speciem relinquunt memoria virtutis, cum ipsa deficit, inferentem: quæ omnia obiecto contingentis pure futuro deficiunt. Secundum est futurorum contingentium species congenitas naturaliter Angelis esse à suæ conditionis initio: sed hæc vana est aliquorum Doctorum, & superuacanea suspicio de futuro etiam non contingentis, & libero, sicuti, & plura alia, quæ à nonnullis arbitrio de Angelis, ut controuersis de anima separata, & Angelis sæpe monui & ostendi diuinantur: & species illæ congenitæ de futuris specialiter ratione facta impugnantur à priori.

5. Secundo: quia adhuc futura à causis naturalibus, ut terræ sterilitas, & eclipsim, arbitrio creato non contingentia, sed solum diuino siue per ordinariam providentiam libere statuenti de illis, non cognoscit Angelus naturaliter in seipsis, sed solum coniecturaliter aut moraliter, ut summum, certitudine, in causis earumque condita & dispositione, semperque sub hypothese, quod Deus non impediatur, ut ex Athanasio in vita Antoni circa med. Anastas. Nicæan. quest. 23. in script. colum. 2. Euseb. Cesar. 6. Præparat. c. 1. & 4. Porphy. apud ipsam. Damasc. 2. de fide c. 4. post med. Aug. c. 9. de Cuit. c. 12. 4. de Trinit. c. 17. de diuinat. demon. c. 6. à med. & communi scholasticor. probat Ruiz citatus sect. 5. ergo eorum species proprias congenitas sibi naturaliter nullas Angelus habet, necdum nostrorum futurorum contingentium. Tertio: quia ex Patribus recitatis erram. 1. Angeli non, nisi per reuelationem, & in verbo vident futura: nec quidem omnia, neque è suæ nature iure, sed ex statu beatifico, quæ aliquatenus ad ipsos spectant, ratione cultior hominum, alteriusve ministerii: ergo non sunt eis futurorum species à creatione sui congenitæ. Patet consequentia: essent quippe otiosæ: nec possunt species, quæ solum ad cognitionem obiectorum dantur debere eis, quibus non debetur cognitio eorum. Denique species illæ obiectorum existentium essent: quare, si nunc, cum eis eliceretur, eorum in se visio actu existentia illa repræsentaret, non minus ac quando præsentia absolute sunt, mediisque suis speciebus videntur.

6. Nec valet: esse species, non solum existentie absolutæ futurorum contingentium, sed ut futurorum, seu existentium pro sua duratione posteriori, ac non pro hac. Contra enim est primo: quia futurum, ut dicebamus q. 3. dicit negationem absolute existentie rei pro nunc, si dicit negationem negationem actu: atqui negationis rei, nisi nequit species propria dari: ergo nec futurum rei, siue rei futura ut futura. Dices: non cognosci in se negationem absolutam rei actuale actu intuitus: species autem solum requiri, atque inferre, ut obiecta in se videantur: ita ergo ab Angelis naturaliter futura

etiam

eiam contingentia cognoscuntur: vt scilicet, existentia absolute medijs speciebus ipsorum videant pro sua duratione, atque hanc esse posteriorem, ex negatione cognitionis existentie eorum pro nunc, & pro anterioribus durationibus, quam expeririunt, expertique sunt, euidenter euincant. Contra tamen: quia experientia illa cognitionis tempore anteriori de existentia futuri contingentis, nequit capi ab Angelo, qui toto antea tempo cognouit eius absolutam existentiam, cum potius expertus sit toto antea tempore eius absolutam existentiam cognouisse, si futuri existentia nouit: quare, nisi cognoscat positue eius pro nunc negationem absolutam, nequit ab experientia educere posteriorem durationem, qua absolute futurum existit, atque nunc, seu anteriori duratione non existeret: ac proinde nec cognoscere et speciebus contingentis, & experientia illa futurum contingens, vt futurum. Mitto plura, quæ species has contingentis Angelis futurorum impugnant.

CERTAMEN IV.

Obiectionibus occurritur.

1. Quæ obieci contra prædictam fidem, & naturali ratione certam veritatem possunt, ad duo capita reducuntur. Primum est, ob aliquas bonorum Angelorum prædicationes veras, quas Scriptura sacra, tam antiqua, quam noua commemorat; atque ob alia demonum vaticinia vel per se, vel per suos vates, & fatidicos, cum in Scriptura sacra, tum hinc dignis gentium, imo & Patrum historici relata, quibus vere prædicationes à demonibus plura futura contingentia fuisse probant euentus, vt constat ex prophetia Balaam num. 23. & 24. & ex prædicatione mortis Saulis 1. Regum 28. & ex pluribus Sybillarum vaticinijs, & bonis quidem Angelis constat ex scriptura eadem, eorumque ibi datis testimonijs eos Dei spiritui afflatos, & missos futura illa prædixisse: ac promitte non naturæ viribus; sed ex Dei voluntate, & reuelatione cuiusmodi futura prædixisse eorum, & Dei testimonio constat ex prophetia vtriusque Balaam memorata (sicet alias falsis demonum vates vaticinijs alijs fallere, ac falleret iuxta S. Thom. 2.2. quæst. 172. art. 6. ad 1.) capite eum vtriusque sub init. dicitur, *Domine posuit spiritum in ore tuo*, Saulis mortem apud Pythonissam, si demon (vt vult Augustinus 2. ad Simplician. qu. 3.) Samuelis specie, & nomine prædixit, ita etiam prædixit, Verum Samuelis animam prædixisse ex Ecclesiæ 41. sine constat, ita enim de Samuele dicitur: *Dormiuit, & nonum fecit Regi suum vita sua*, & exaltauit vocem suam de terra in prophetia: idque enset Sanctus Thom. 2.2. quæst. 174. art. 5. ad 4. & ex multis Patribus, & ratione, Bellarminus tom. 1. lib. 2. controu. de purgatorio, cap. 6. Mart. Martinez 9. Hypothipos Reg. 2.1. Ruiz scilicet 9. num. 11. *Ex irruente in se spiritu Dei assumpta parabola ait*: Sybillas etiam, vel ex sacris literis, earumque relatione vel immediate Dei spiritui afflatas de Christo vera prædixisse concors Patrum sententia est, vt diximus controu. de Trinit. d. 1. & controu. 1. de Incarnat. d. 1. & sanè demones è Dei voluntate immediate, vel mediatè Angelis suggerentibus, sapè futura prædicere docent: Anastasi. Nican. qu. 23. in Scriptura col. 2. August. in 2. ad Simplician. qu. 3. post mod. de Genes. ad liter. cap. 17. 4. de Trinit. cap. 17. Iustin. 1. Sentent. cap. 10. sub med. & Magister c. *Diximus autem 2. d. 7. ad cuius litteram S. Bonauentura*, & par. 2. dist. 1. quæst. 3. S. Thom. 1. par. qu. 46. art. 1. ad 4. & 2.2. qu. 172. art. 6. ad 1. Ruiz scilicet 9. num. 2. idem ex reuelatis à Deo in Scripturis pro tota Ecclesia, vel priuatim Sanctis aliquibus fidelibus sermonibus plura didicere, eorumque etiam ex futuris, & mysterijs, quæ alijs, prædixisse, ac tanquam oracula sua vendicere, vt docet August. citato loco de Trinitate, & Magn. Anton. apud Adian. in eius vita post med.

2. De vatis vero demonum, qua talibus, deque ipsorum demonum oraculis futurorum contingentium quæ euentus vera esse probuit responderetur: multiplici ex capite non probare certam fuisse eorum de quomodolibet futuris prædicationem naturæ iure, & viribus habitam: quinimo, quod ex sui intellectus naturali prædicatione prædixerunt temere, quæ ignorabant, prædixisse, casu sæpè euentum concordasse prædictioni, quemadmodum dum pueri ludentis prædictione par, vel impar numerus forte apparer. August. 4. Confess. c. 3. lib. 7. cap. 6. lib. 12. de Genes. ad liter. cap. 17. & 22. ait: cumque multa prædixerint, mirum non est aliquem ex eis euenisse iuxta adagium illud: *Si multa torquentur, modo hoc, modo illud erit*: quod Garrulis, & Melancholicis aptat ob similem rationem Arist. de præsen. per somnium circa med. prædixerunt autem temere, ne eorum de quibus confulebantur ignorantiam detegerent, diuinique honoribus à populis spoliarentur, cum silentij causas alias præterdere non poterant, forti, & fortunæ euentus diuinitatis affirmationem malentes committere, quam ignorantia sua confessione certo amittere. Accedit oraculis plurimis ambiguis demones, eorumque fatidicos viros sapè fuisse, quibus alterutrum ex oppositis atque significaretur; quorum exempla aliqua celebriora dedimus supra atque alterutro euentu id prædictum populi crederent, cum id argumentum sit clarum ignorantia de vtroque in ita prædicatione, & fallacia diuinationis: de qua Tertull. cap. 22. Apolog. circa finem Theodor. 5. præparat. Euang. cap. 10. & lib. 10. de cur. grac. affect. & Aristot. 3. Rhet. cap. 5. circa med. hanc demonum fallendi oraculis suis artem aperuit his verbis. *Dicendum est: non ambigere, nisi consilio ita quisquam faciat, quod faciunt, qui cum nihil habeant facere aut dicere, aliquid tamen edicere simulantur*: vt in post. sit, & *Impedocles facit, decipit enim circutito, cum crebra sit, ac ita auditores afficiuntur: sius multi cum ambigua oracula dicunt*: Aliamque fallendi similibus vaticinijs artem statim subdit, scilicet res generalius, quam specialius prædiciant, quoniam minus est aberrandi periculum: *ideò, inquit, iam in genere, qui vaticinantur dicunt. Dicit enim forte aliquis verum magis in ludo paria, vel imparia dicent, quam quot & magis, quod erit, quam quando: quæ circa Aristophiles non determinant quando*.

3. Denique cum demones elarius, acutiisque nobis, atque indistantius, etiam loco & tempore causarum naturalium concursus, & dispositionem, imo & liberarum habitus, passionem, & inclinationem, ex quibus naturales effectus certitudine physica, & naturali (licet sub conditione, quod Deus eorum exigentia è iure naturæ annuat, atque absoluto suo dominio & potestate non impediatur) fore discant; liberos autem sapè morali certitudine coniectant, vt supra dicebamus: plura morali certitudine erroris periculo poterit præposcere ac prædiciant: imo cum physica, moralive certitudine naturali sola intellectus sui virtute: & sapè ita euenient, sicut prædiciantur. Nihil tamen ex eis cum metaphysica certitudine, & cui falsum subesse profus, & absolute nequeat: sicut Deus omnia ea prænouit, prædiciantque quæcumque vaticinantur, & ex qua sua præcedunt, & vaticiniorum constanti semper & vbique certitudine, & infallibilitate suam nobis demonstrat veram diuinitatem. Multa item demones prædicunt, quæ sua naturali potentia facere possunt quare & asserre, atque ita se facturos stauerunt iam, & prædiciant, vel ex prædicatione, vt homines decipiunt, exequuntur: sed ex etiam prædicationes eidem periculo alterius aduersæ dispositionis diuinæ, de qua illis non constat, expositæ sunt; idque demones non ignorant.

4. Secundum caput continet obiectiones ex hominum diuinationibus petitas de quorum animis refertur à S. Th. 1. par. qu. 87. art. 4. ad 2. dixisse August. *habere vim sortis, vt natura sua futura prædicant*. Sicque 12. de Genes. ad liter. cap. 17. circa med. refert Phreneticum quendam mox futuram laminæ mortem, funus, cuiusque comitatum, & viam paulo post futura, quasi iam à se visa narrasse, & c. 22. post med. inuenis stantem, & quasi per iocum, & fatidicorum actiones imitantis vaticinium protulisse cum iis omnibus circumstantiis, quibus fere statim euenit; sed certe verba & sententia illa Augustini non est, in cuiusque saltem operibus non extat teste Ruiz scilicet 10. num. 2. Solum hæc inueniuntur 7. Confessionum c. 6. sub init. *Constat autem hominum habere vim sortis, & multa dicendo diei pleraque ventura nescientibus eis, quid dicerent, se in ea non tacendo incurrentibus*: vt etiam aiebat Aristoteles.

les de diuinat. seu præsen. per somnium vulgari illo proloquiossi *sapè iucis, aliud alias iecerit*: est tamen sententia illa Gregorij M. 4. dialog. c. 26. init. dicentis: *ipsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliqua præuidet*, scilicet absque reuelatione, & supernaturali elevatione, à qua eam præuisionem itam distinguit, & confirmat exemplo moribundi, qui prædixit Romæ se per viam Appiam ad B. Sixti Ecclesiam esse processurum: cumque testamentarij id nescientes, nec curantes alio corpus eius efferri decernerent, ac funus dirigerent, repente mutato Consilio, & via eo illud, sicut prædixerat, deuenerunt: sed in ea sententia ex celsissime Doctore S. pientissimus merito videtur nostro Ruiz num. 8. maxime, cum prædictio huius cum euentu concordia casualis, & fortuita iudicari potius debeat, sicut, & aliarum, quas ex Augustino retulimus: vt hic, & Aristoteles de similibus generaliter atquebant verbis datis, & ipse Augustinus iterum 12. de Genes. ad liter. cap. 18. sub initio his verbis: *Ego visa ista omnia visis comparo somniantium, sicut enim alijs uando, & hæc falsa, aliquando autem vera sunt, se etiam illa omnia plerumque etiam sunt falsa, atque ideo, quia rarissima, quæ vera sunt notantur. Accedit: quod hæc, & similia, vel per iocum, vel phrenesim, ex eis, quæ familiariter ex usu, & circumstantiis acciderent solent, ac moribus di præsertim de se fore coniectantur, & prædicant; ac proinde ita ex usu eueniant: vel tandem licet ex raro contingentibus casus sint, industrijs, & Angelorum inspirantium, vel demonum suggerentium ac disponentium, quæ serio fieri desiderabant euenire naturaliter possunt: maxime, si demon ita prænuntiari ab illis fecit, vt homines diuinationibus credere faciat, ac Deus in horum penam aliove sine illius industriam non impediat.*

5. Denique opponens: homines per somnium, extasim, aut phrenesim, à sensuum usu alienatos futura cognoscere teste Aristotele proxime: ubi è communi sui temporis fama refert quosdam apud Herculis columnas, & Boristhenem diuinare futura: atque somnia nec credenda, nec contemnenda semper esse: sed certe contra Leuit. 19. dicitur. *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia*. Et Ecclesiast. 5. *Multas curas sequuntur somnia, nempe inanes*. Et Ecclesiast. 34. *Multos enim errare fecerunt somnia*, de quorum detestatione magna ponderatione ait M. Greg. 4. dial. cap. 48. ante med. quæ generaliter de somniis, non à Deo, vel Angelis è Dei voluntate, & imperio immixtis, sed frequentibus, & naturalibus intelligenda sunt. Nam de illis extant plurima credenda in Scriptura: cuiusmodi sunt Patriarchæ Iosephi de manipulis, Soleque, Luna, & Strellis: de statua Nabuchodonosor à Daniele explicatum, & tandem dicitur, Ios. 2. n. 28. *Senes vestri somnia somniantur*: in Messia aduentu, vt explicuit S. Petrus Actor. 2. Neque Aristot. citato libro de diuinatione per somn. oppositum docuit: cum eodem libro dixerit, vt supra retulimus: somnia quandoque à Deo immitti: quare ratione horum docuit non esse semper contemnenda. Ex alijs verò somniantium, atque abusu sensuum per phrenesim, aut extasim abstractorum præsentationibus probabile indicium futurorum, maxime circa corporis bonam, vel malam valetudinem, ac proinde eius curationem futuram colligi, & coniecti probabiliter potest, oriuntur enim è corporali corporis dispositione, & inclinatione appetitus, ad quam facilius mouetur dormiens, & ab usu sensuum alienati imaginatiua, cuius vis ad alia obiecta non distrahitur, totaque ad obiectum interiori sensui per naturales intrinsecas causas propositum colligitur. Vnde Medici iure iis valetudinariis somniis attendunt, sæpe eiusmodi somnia dormientibus, ac extrahitis ab Angelis, siue bonis, siue malis imituntur: aptioribus scilicet, tum ob collectionem virtutum imaginatiua ad obiectum interius representationem, aptioris proinde ad eiusmodi impressiones patientias, teste Aristotele citato libro & Sancto Thoma q. 37. art. 4. ad 2. tum, quia sensibus vrens, seipsum etiam agit, nec solum patitur, vt ab eorum usu alienatus: quare magis impedit motum, & operationem agentis: quare proportionem seruata minoris probabilitatis sunt de liberis futuris, etiam hominum, qui naturalibus inclinationibus, vel ex consuetudine, & habitu, vel aliunde obtemperant, non rationi. Demum iudicarios Astrologos naturales minus certo, maioriq; aberrandi periculo effectus altiorum prædicere, quam demones: quia non æquæ, atque his,

causarum naturalium collectionem penetrant, imo vix minorem partem illius: quare circa pluias, ventos, serenitatem, sæpè falso prædicunt.



QVÆSTIO VII.

Num propositiones singulares de futuro contingenti determinatam veritatem, vel falsitatem habeant.

PROPOSITIONVM singularium nomine non intelliguntur in re præsentia ab scholasticis propositiones singulares enuntiativæ: sic enim propositio quævis indiuidua, reque existens, singularis est, & quocumque obiecto sit: intelligitur ergo nomine propositionis singularis obiectivæ, siue de obiecto singulari: quæ acceptione diuidi à logicis in vniuersalem, particularem, indefinitam &c. propositio solet: quare hoc titulo inquiritur de propositionibus de obiecto singulari, contingentibus futuro: cui nimirum soli per se, & ratione sui potest contingentia conuenire, & ratione cuius vniuersalibus, & communibus aliarum propositionum obiectis: & quamvis ad rem præsentem Theologicam de diuina nostrorum contingentium futurorum præsentia, & difficultatibus inde subortis componendis, ita vniuersim de veritate propositionum omnium singularium de futuro contingentibus disputare necessarium non videatur, tamen valde vtile, & quod doctrinam hæcenus traditam de eorum obiectorum præsentia confirmet: cum enim veritatem formalem determinatam habere eiusmodi propositiones nequeant, nisi eiusmodi futura contingentia futura singularia, quæ ita fore enuntiantur, vt erunt, veritatem obiectivam, seu capacitatem, vt veram cognitionem actualem duratione anteriori habitam terminent, habeant: sit, vt ex eorum formali veritate, veritas eiusmodi contingentium obiectivæ demonstretur: quæ ostensa à Deo prædicti euidens subinde erit: idcirco, licet vniuersalis hæc quæstio philosophica sit, hic tamen iure optime à Theologis disputatur.

CERTAMEN I.

Doctorem placita, & pro veræ definitionis claritate notata.

1. **E**PICTETI apud Ciceronem lib. de fato longe à medio num. 28. docere: eiusmodi propositiones, nec veras, nec falsas esse: aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius veras esse ex contrariis dispositionibus: sed quæ in his enuntiatæ essent (determinatione) eorum neutrum esse verum: quasi dicant: Petrum eras pugnaturum, vel non pugnaturum, verum quidem esse, vereque dici disiunctivæ: aut pugnaturum determinate, vel non pugnaturum determinate, nec verum esse scilicet, nec falsum, nec verè scilicet dici, nec falso, siue eras pugnet siue non pugnet. Quorum fundamentum illud proculdubio fuit: quod alterum ex contradicentibus esse, tempore quousque signato, seu fore necessarium est: cum simul nequeat vtrumque esse pro vlla duratione: esse vero alterum ex illis determinate pro omni, & quavis duratione, eorumque contingentia repugnat id quod cæteris, qui aliter, ac veritas fert, de eiusmodi propositionum veritate, aut falsitate determinate sententias tulērunt, præcipua atque unica extitit causa. Extrema huius sententia Epicureorum parti consentiunt scholastici nonnulli asserentes: in his propositionibus contradictorijs de futuro contingentibus determinato, & singulari, licet ad veritatem